

Quaeritur quid ex vaticinio de Isocrate a Socrate in extrema parte Phaedri Platonici facto, si cum ambagibus quibusdam Euthydemus item Platonici contendatur, elici possit ad definiendum tempus quo dialogus, quem priore loco diximus, exaratus esse existimandus sit.

Antequam quae mihi proposui incipiam disceptare, non alienum videtur pauca pro domo et quae, si quid in commentarye ipsa titubatum videatur, legentium veniam mihi possint impetrare, praefari. Nam quum requereretur qui actis gymnasii nostri, ut assolet, praetexeret commentaryem aliquam, sed tamen ea lege, ut circuitus eius ad certum modum redigeretur neque spatium viginti fere pagellarum excederet, negata praeterea facultate ut, si ambitus commentarii in iussos voluminis terminos coartari non posset, reliqua in proximi anni acta reservarentur, quamquam me non fecellit me dicis causa magis desudare quam quod arbitrareris quae his chartis mandarem, posse me aliis qui ex huius modi voluminibus, quod sibi expedit, petunt suppeditare, tamen non sum gravatus, quin molestum illud et spinosum munus susciperem.

Quid mirum, quod de ea causa, quam supra memoravi, neque mihi quantum velim vela dare orationi liceat neque aut argumentorum seriem persequi aut ubi fors ferat, exempla afferre atque digressiones interponere aut *locos auctoresve ipsos laudare* et si in qua alia re liber bacchari solet stylus, quum et ratio genusque libelli et chartarum angustiae moneant vela orationis quam maxime possim contrahere et dimissis omnibus deverticulis rectissimo cursu petere portum.

Atque ut iam inde procedat disceptatio, unde eam proficiisci maxime ex usu erit, ordiendum mihi videtur ab illo vexatissimo loco Phaedri Platonici p. 278 E — 279 B, ubi Socrates memorabile illud atque illustre de Isocrate augurium facit. Etenim quum Socrates verae rhetorices naturam et vim exposuisset Phaedrumque iussisset Lysiae, deliciis suis, renuntiare ipsos in sacris Musarum pratis orationes audisse, quae nuntiarent Lysiae et si qui alii in orationibus conserbendis versarentur, item poetis ac legum scriptoribus, nisi ea quae composuissent, iis legibus rite dicendi contineri appareret, quas leges Socrates constitueret, et callerent quid in ea causa, de qua scriberent, verum esset, ut explicare docereque possent illa, si quis non assequeretur, et patrocinari orationi scriptae adversus calumniantium iniurias, denique dicere de eadem re ita, ut dicendo scripta sua multo superarent atque patetieret vocem esse literis potiorem, dignos non esse, qui praeclaro philosophi nomine, quem quidem sibi Socrates animo informavisset,

ornarentur: haec quum Phaedro mandasset, iam ab hoc ipso interpellatur, quidnam suis met ipsius deliciis Isocrati renuntiari vellet.

Summa loci quae sit, satis exstat atque eminet. Cum Lysia reliquisque, qui passim in Phaedro nominantur, rhetoribus et sophistis contenditur Isocratos adolescens (*γέος*), qui iam tum temporis vacasse orationibus componendis fingitur (*τόνς λόγους, οἵς τὸν ἐπιχειρεῖ*) atque tantum cum in hoc genere tum ingenii natura ac virtutis indole (*Ἴσοκοράτη τὸν καλὸν . . . δοκεῖ ἀμείνων τὰ δῆς φύσεως . . . ἥθει γεννικωτέρῳ περισσότερῳ*) antecellere ceteris, ut augurari non dubitet Socrates Isocrates non modo in orationibus scribendis, quum aetate processerit, illis palmam artis esse praerepturum, sed fore ut maiora (hoc est) philosophiae studia capessat. — Sed est in iis quae exhibui, varietas quaedam scripturae haud spernenda, quam fuerunt qui ad originem huius dialogi illustrandam maximi momenti esse censerent. Ubi enim inde ab editione principe deinceps per omnes libros editos *εἴ τε εἰ αὐτῷ πτλ.* habetur, in libris manu scriptis ab Im. Bekkero collatis iisdemque veteribus atque optimae notae legitur *εἴτε, εἰ αὐτῷ πτλ.,* quod cum per se sat magnum sit ac grave hance scripturam codices, quibus maxima debetur auctoritas et fides tueri, ut iam vel inde in contextum sit restituenda, tum probatur alia et quidem graviore etiam commendatione, si quidem locupletissimus auctor Cicero integroribus quam nos recentes usus est libris atque veterioribus, quum totum hunc locum in Or. cap. 13 §. 41 sq. faceret Latine: „Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri *his ipsis verbis* loquens Socrates: adolescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est, sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiores mihi ingenio videtur esse quam ut cum orationibus Lysiae comparetur, praeterea ad virtutem maior indoles, ut minime mirum futurum sit si, cum aetate processerit, *aut* in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum quantum pueris reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt, *aut* si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam. Haec de *adolescente Socrates* auguratur, at ea de *seniore* scribit *Plato*, et scribit aequalis, et quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum.“ — Quaeritur, si diiudicaturi sumus, utra potius vocula a Platone exarata sit, num Ciceroni fides sit habenda isque illum locum quam potuerit diligentissime et ad verbum verterit. At illud profecto ita sese habere interpretatio ipsa cum exemplo Graeco comparata non minus docet quam Tulli in verbis, quae proxime antecedunt, professio Socratem *his ipsis verbis* disserere, ne adiuncta quidem vocula *fere*, quam alias adhibere consuevit. — Verum tamen quaestio haec nondum omnibus numeris est expedita ac profligata: accuratius circumspiciendum est, quid inde liceat colligere, si quidem constat Ciceronem illud *εἴ . . . τε . . . εἴ τε εἰ* Latinis voculis *si, aut . . . aut* reddidisse? Nihil quidem uliud nisi hoc unum, ut mihi persuadeo, interpretem Romanum in archetypo suo *εἴ . . . τε, εἴτε* exaratum invenisse, aut si id minus, alterum illud *εἴτε* interiecto intervallo diiunete scriptum *εἴ τε*, quod ille pro *εἴτε* acceperit itaque verterit, quamquam non plane congruent inter se Graecum *εἴτε* et Latinum *aut* diiungunturque nimium atque adeo excluduntur hac Latina particula sententiae. Illud igitur usque adhuc exploratum habemus Tullium in libris *εἴτε*, non *εἴ τε* legisse. — Sed tamen referre mihi videtur, quamvis minuta sit quaestiuncula, utrum *εἱ . . . τε, εἴτε* merae

coniunctiones disiunctivae quae dicuntur putandae sint an habeat utraque vox tam εἰ quam τε suam propriam vim ac suum locum. Evidem hoc alterum potius amplectar et meo quidem iure: nimis illud εἰ, quod est priore loco positum, de verbo θαυμαστὸν pendet, qui usus est et in Graeco et in Latino sermone vulgatissimus, praecipue si id quod miramur, nondum factum sed futurum sit: item altera sententia, quae ab εἴτε incipit, ab eadem illa voce θαυμαστὸν pendere existimanda est atque per anaphoram quandam cum priore coniuncta et copulata. Ita si statuimus, iam voculas τε . . . τε suo quidem usu et loco usurpatas, esse appareat, ut complectantur duas sententias, quarum in utraque eadem insit vis ac potestas. Sed hoc videlicet interpretes conturbavit, quod superius τε annexum est voei, qua potissimum vis prioris illius sententiae continetur, vocem αὐτούς dico, quum λόγων ab Isocrate confectorum mentio iam esset iniecta et haec vaticinii pars minus esset mirabilis, alterum vero τε, quod sententiam insolentiores et magis praeter exspectationem orditur, quum interiicenda fuisse enunciatio εἰ αὐτῷ μὴ ἀποκρίσαι ταῦτα, neque posset pone haec verba retrudi, ut sese alii cūdām voci applicaret, coniunctioni εἰ ita inclinavit, ut cum ea in unam vocem coalesceret, unde ortum est illud εἴτε. Itaque difficultatem quam hanc structuram habere fatetur Spengelius, non video, immo vero aptissime omnia in rationem grammaticam cadere demonstravimus. Ut et illud expediam, unde istud εἴτε τε in contextum irrepserit, veri simile est oculos eius, qui Phaedrum transscrispsit, temere ad alterum εἴτε τε, quod paulo superius legitur, declinasse, praecipue quum pari intervallo atque inferius vocula η̄ antecedat. — Iam de maiore et graviore quaestione restat ut dicam: quum enim Spengelius, qui veram hanc scripturam primus in lucem protulit et defendit, ibidem loci Ciceronis interpretationem coniunctionibus disiunctivis aut . . . aut expressam pluris faciens quam exemplum Graecum animo candidissimo efficere velit vaticinii illius vim rationemque, si nova scriptura in contextum recipiatur, haud mediocriter commutari et comminui: neque enim iam si εἰ τε legimus, utrumque auguratur Socrates et optimum oratorem evasurum esse Isocratem et philosophiae fontes hausturum, sed acquiescere videtur, si alterum utrum futurum sit, neque si illud acciderit, exspectet quidquam aliud, hoc quale sit dijudicare statui. At nihil eum dicere vel ex eo apparebit, quemadmodum nos verba Graeca potius secuti e lege grammatica contextum et verborum et sententiarum inter se explanandum esse consumimus. Neque enim diiunguntur secluduntur sententiae, quibus et oratorem celeberrimum et philosophum evasurum esse aliquando Isocratem auguratur Socrates, verum copulantur atque cohaerent inter se ita, ut utraque simul praedicatur neque cogitari alterautra possit sine altera. Etenim, proh dii immortales, quem tandem gentium oratorem, licet fuerit ille celeberrimus omnibusque numeris perfectissimus atque absolutissimus, satisfacturum fuisse censeamus Platoni, nisi idem dialecticā imbutus iis potissimum luminibus, quae ex philosophiae veris fontibus manarent, ornaret orationes suas ac distingueret? An existimamus Platонem, qui perfectam eloquentiam et sapientiae studium unam eandemque summam artem, eloquentiam vero sine philosophia ἀλογον τριβήν esse duxit, omnino informare potuisse animo oratorem, quem tantis laudibus efferret, dialecticam ne extremis quidem labris libasse? nisi forte illum putamus Isocratem ideo Lysiae, Gorgiae, ceteris λογοθεαδάλοις anteposuisse, quod eum expectaret in διπλοῖς, παρίσοις, ἐρθνμήμασι, aliis id genus oratoriae artis luminibus adhibendis istos rhetores

ac sophistas superaturum esse. Hoc igitur pro certo mihi persuadeo et evincit universi dialogi consilium Platonem de Isocrate utramque sperasse neque, unum si evenisset, futurum fuisse ut in eo acquiesceret.

Locum igitur quam maxime potui exploravi et quid de hoc dilemmate sentiam, exposui. At Bakius putat praeconium illud hypothetica quae dieitur orationis forma valde imminui; quasi vero sententiae hypotheticae istae essent ac non potius ex vocabulo *θαυμαστόν* ut supra demonstravimus, suspensae et quae enunciatio ab ὁστε incipit „ὁστε οὐδὲν ἀρ γένοτο θαυμαστὸν“ hypothetica esset habenda. Neque vero neglegendum est illud, quod non temere ac tamquam numinis cuiusquam iussu Isocratis laudes futuras praedicat Socrates, sed iuvenis naturam atque indolem spectans ex iis quae iam molitus sit, ad maiora eum enisurum coniectura assequitur et animo praecipit. Quin et gratiora nobis haec erunt et certe ad summam quaestionis plus faciunt, quod rationes quoque attulit Plato, propter quas illum potissimum amplectetur, quam si vana aliqua viri specie captus aut corruptus caeco amore illum indicium fecisset. Immo etiam fuerunt, qui Platonem haec de Isocrate non ex animi sententia et simpliciter, sed per simulationem et illudentem praedicasse arbitrarentur multosque in hanc suam sententiam traherent: sane gravissima illa quidem calumnia et quae nostram quaestionem plane futilem ac vanam possit reddere: sed sine ullo negotio refellitur. Atque primum iam illud mirum videtur, quod Socrates Isocratem non in turbam reliquorum rhetorum receperit atque de eo cum segregatim tum praecipue in extremo dialogo verba faciat. Quid? si eius aetatem excusat, quominus nondum eo ascenderit, quo eum perventurum esse ingenii beneficio auguratur? An vero reperietur quisquam qui audeat infringere haec, quasi parum probata ipsius vita sint „εἴ τε ἡθει γεννικωτέρω φενοδῶται“, aut denique simulati quidquam et ridiculi inesse existimet in verbis quae sunt „φύσει γὰρ, ὁ φίλε, ἐνεστὶ τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀρδητὸς διανοίᾳ“? Atque si ne his quidem Geilio persuadetur Isocrati non illudi, sed vere laudari atque ornari, at illud certe consideret Socratem polliceri se ipsum huius laudis nuntium a numinibus istius loci sibi mandatum ad Isocratem esse delaturum, quum cetera reprehensorum rhetorum turba Phadro permittatur. An unius hominis Batavi et qui ab eo sunt, libidini plus auctoritatis tribuamus quam antiquorum iudicio, quum quidem gravissimus auctor antiquitatis Cicero, posteaquam vaticinium illud in linguam Latinam transtulit, adiecerit indicium suum „et quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum“? Miratur igitur et ornat, tantum abest ut illudat.

Duo igitur ex iis quae adhuc disputavimus, si modo recte sumus interpretati, apparent: alterum, Isocratem eo tempore quo sermo habitus esse fingitur — effecerunt autem viri docti et collegerunt ex iudiciis quae passim in Phaedro reperiuntur, annum illum esse ante Chr. n. CCCCVI, neque habeo quod secus sentiam — fuisse *etiamtum adolescentem* (*νέον εἴτι*), quae vox habere potest videri ambiguitatem quandam, quum aut subiici possit sententia „adolescens etiamnunc“ hoc est, nondum aetatis eo processit, ut ingenii facultates ad maturitatem sint perductae possitque cum aliis certamine aequo contendere, aut ita interpretandum sit, ut iuvenis etiam sit intelligendus, adultus ille quidem et maturus, sed cuius mens possit etiam formari et tamquam resingi. Sane prior illa interpretatio quum iam sua sponte placeat — est enim Isocrates ἀνήρ νέος annorum circiter triginta — tum commendatur verbis quae legunter paulo infra προϊούσης τῆς

ηλικίας. Altero loco collegimus et argumentis comprabavimus Isocratem vere laudari et laudari ob integras iustasque causas. Neque quidquam ultra: quod si enim unus exstaret Phaedri locus neque quidquam aliunde manaret adminiculum, haud scio an nunquam ne vagissimis quidem terminis definire liceat tempus, quo hic sermo conscriptus esse videatur. Sed succurrit Isocratearum orationum haud spernenda copia, unde facillime colligas, quae ille vir celebratissimus senserit, egerit, quae studia amplexus sit, quam vitae rationem instituerit; quibus testimoniis accedunt ea, quae ab Aristotele, Dyonisio, ceteris scriptoribus antiquis de Isocrate accepimus. Ad hos igitur fontes uberrimos nos confugere oportebit, ut depromamus ea quae quaestionem propellant et promoveant, quum memoria rerum scriptarum certior nos destituat. Itaque informabimus Isocratem qualis fuerit et quam certissimis lineamentis effingemus, unde perspicuum fiat, evaseritne is qualem eum Plato opinione preeceperat necne.

Atque traditur Isocrates natus esse Athenis anno ante Chr. n. CCCCXXXVI. (Dion. Hal. Pseudoplat.) loco haud tenui; quid mirum, quod pater omnibus liberalibus artibus et literis, quae tum cum maxime Athenis floruerunt, eum erudiendum curavit, ut inter aequales et condiscipulos nomen Isocratis non minus innotesceret atque inclaresquam postea inter cives, quod ipse iactat Antid. §. 161. Usus est enim magistris tunc quidem celeberrimis, ut Prodicus, Tisia, Protagoras, Gorgia, ad quem eum viginti fere annorum adolescentulum in Thessalam misit pater tantaque illum diligentia sectatus esse videtur, ut de nullius doctrina magis expressa et certiora apud eum resideraverint vestigia. Prima rationis civilis rudimenta ab Theramene, clarissimo viro, accepit (Dion. Hal. Pseudoplat.), dialecticis vero et philosophia, id est, bene et recte vivendi disciplina a Socrate imbutus et, quem et vivum maximi faciebat atque carissimum habuit et dilexit mortuum (Is. Bus. §. 5) Videtur autem has disciplinas et artes omnes facillime perceperisse et perdidicisse, quod iam ex eo veri simillimum est, quod natura erat ad optima quaeque addiscenda praeclara indole instructus et quod eum ex singulis disciplinis aliqua in orationes suas recepisse videmus. Redundant enim eius scripta figuris et luminibus, quibus primus Gorgias orationem distinxit et illustravit, tractant magna ex parte res civiles, redolent quaedam discipulum Socratis. Neque tamen ipse ingenuose quidquam novi ac singulare invenit aut progenuit, nisi quod illa quae a singulis magistris acceperat, in unum conduxit et quibusdam locis auxit continuavit dilatavitque. Nam quominus apud iudices aut in concione diceret et rem publicam capesseret quum laterrum et vocis infirmitas tum etiam natura et pudor officiebant, qua de causa sese foro abstinere ipse profitetur. (Phil. §. 81, Panath §. 9, D. H. Pseudopl., Vita X Or. p. 838 E.) Itaque quum ei deesset illa vis et acrimonia ingenii qua Demosthenes omnes omnium aetatum oratores superavit, quum tamen nihilominus magna moliretur et luce illa forensi, qua continebantur omnes nervi et spiritus rei publicae Atheniensium, carere nollet, in orationes conscribendas omnem operam suam et ingenium contulit, (quam vitae rationem ipse exhibet Panath §. 11) nec tanem eas quae declamarentur et audirentur vicissim, sed tererentur manibus et legerentur. Neque vero eum qua erat subtilitate iudicii fugit, quanto orationes suae scriptae voce et vi et impetu illo carerent, quo declamator audiendum animos quoecunque vult impellit, eo magis sibi elaborandum esse, ut forma et suavitate cum gravitate coniuncta legentium captaret ac detineret, delectaret perfunde-

retque animos neque solutione scribendi genere languescere pateretur. Itaque grande illud dicendi genus, quod a Gorgia ei traditum erat, ita excoluit eruditus, ad summam artem perduxit, ut nihil post eum excogitatum sit perfectius habereturque et auctor et princeps huius generis per omne antiquitatis aevum laudatissimus: nam concisa et minuta membra (*κῶλα*) Gorgiana eloquentiae, quibus si intemperantius utaris, offendantur et defatigentur animi necesse est, porrexit et dilatavit, cohibuit castigavitque tumorem, festivitates dicendi et ampullas mitigavit, redundantes ac propullulantes tamquam ramos resecuit atque amputavit, et quum Gorgias iusto erebrius contulerit pugnantia (*ἀριθέτα*) comparaveritque contraria et ut extrema pariter terminarentur eundemque sonum in cadendo referrent (*όμοιοπάταχτα*, *όμοιοτίλευτα*) nimis diligenter studuerit, usus est his quidem Isocrates parcus, ne legentibus moveret taedium: at orationem temperavit praeclaris sententiis (*ἐρθυμήμασι*) et dictis et, id quod maximum est, primus in ambitus numerose cadentes et mira cum arte atque concinnitate nexos orationem includit, qui suavissime in aures sese stillarent et animos legentium vel eo ipso traherent atque his vel maxime orationes suae comprobarentur. Et quum Gorgias orator summa cum iactatione et vehementia gestuum et laterum contentionе diceret eoque ardore et impetu oris, ut praecipites ageret audientes et inflammaret, etiamsi ille aestus animi, quo vehementius erat excitatus, eo tamen citius evanuit: Isocrates rhetor tamquam sedatus amnis leniter profluit et otiosius agens omnia suavitatum genera et ornatus persequitur, ut nihil abundet, nihil desideretur neque quidquam aut hiuleum sit aut rursus asperum; neque enim ad tempus orationes composuit, sed quae omnem posteritatem traherent et delecentarent. Neque vero solum ex hac parte eloquentiam Gorgianam emendavit, excoluit, locupletavit, sed etiam ceterorum rhetorum, qui iudiciale maxime genus amplectebantur, normas et leges in hoc novum atque refictum demonstrativum genus assumpsit et artificiosissima manu cum conclusionum suarum structura ita temperavit atque adaptavit, ut commissuram duarum artium vix internoscas. Etenim etiamsi illa a prioribus artis dicendi scriptoribus praecipiebantur, ut in prima oratione collocaretur prooemium, sequeatur propositio, quam exciperet ratio cum rationis confirmatione, exemplo aut simili, extremam orationem ut finiret conclusio, tamen primus Isocrates tam constanter severe diligenter iis usus est atque suo quidque loco posuit et dimensus est, ut eum iure principem ornatae huius orationis artificem esse dicamus. — Hoc igitur genus dicendi splendidissimum, quod Isocrates se invenisse et ad summum perduxisse gloriatur, praeclaro philosophia nomine ornavit; reliquas disciplinas et artes liberales idem flocci non fecit atque etiam earum doctores vel contumelis persequitur acerbissimisque irridet facetiis. Orationes suas, quas composuit Photio auctore viginti quinque vel octo, omnes illa forma et specie dicendi exsecutus est, seu causas Atheniensium publicas vel totius Graeciae commoda tractavit, seu accusationes aut defensiones in privatorum usum composuit, seu laudationibus quempiam celebravit. Sed tamen ne quis putaverit istas orationes, in quocumque genere versantur, unquam ab ullo habitas esse aut apud iudices aut pro rostris aut omnino eo consilio conscriptas esse ab Isocrate ut haberentur: neque enim eius intererat, quale esset argumentum, dummodo, quamvis esset materies levissima, acriter et subtiliter excogitata videretur atque ornata, venuste, copiose explicata eamque vim haberet, ut legentibus persuaderetur. Quamquam non est haec res sine

controversia. Aristoteles enim apud Ciceronem in Bruto cap. 12 §. 48 testis est Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes quibus in iudiciis uterentur; sed quum ex eo, quia quasi committeret contra legem, qua quis iudicio circumveniretur, saepe in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes (*τέχνας sc. ὡροφιάς*) componendas transtulisse. Dyonisius autem Halicarnasseus in libro quem *περὶ Ἰσοκράτους* inscripsit, Cephisodorum Athenensem, Isocratis aequalem et discipulum secutus ab illo dissentit, quum dicat «δέσμας πάντων πολλὰς δικαιοτικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιέργεσθαι φησιν ἐπὸ τῶν βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης. καὶ οὗτος Ἀριστοτέλει πελθομένι ὄνταί εἰναι τὸν ἀνδραῖον βούλομένων οὐτ' Ἀφαρεῖ συντίθεμαι . . . πιστεύω δὲ γεγράφθαι λόγους τινάς ἐπὸ τοῦ ἀνδρὸς εἰς δικαιοτήτου, οὐ μέντοι πολλούς.» Haesito utri potius fidem habendam censeam, quum utriusque summi viri auctoritates inter se pugnant. Sed enim Aristotelis gravissimum testimonium sic explicandum esse existimo, quum Isocratem primo artem dicendi esse negavisse diceret, eum non artem ipsam aut normas discipulis tradidisse, sed orationes suas elucubrasset recitando auditoribus, qualis vera eloquentia esse deberet quibusque contineretur legibus ostendisse — ut quidem Gorgiam et Protagoram audivimus — atque primas orationes, quas tamquam exempla et specimen perfectae eloquentiae discipulis proposuisset, in judicialibus causis esse versatas. Ex quo loco Aristoteleo movit Sauppius quaestionem, quonam tempore Isocrates orationes scribere incepisset vultque obtinere, in quo discrepat a Pfundio, illum statim post triginta tyrannos expulsoz composuisse orationes forenses, ex quibus quae restant, hoc ordine deinceps confectae esse videntur: XXI πρὸς Εὐθύνον, XVIII πρὸς Καλλίμαχον, XVI περὶ τὸν ζεύγον, XX κατὰ Λοχίον, XIX Αἰγανῆτις, XVII Τραπεζιτικός. Quas qui accuratius legerit, haud seio an sibi persuadeat eas ad voluptatem aurium magis et ludici causa confectas esse quam ut iustarum accusationum et defensionum partes sustinerent atque pulverem fori perferrent — Quod si quaeritur, quibus de causis Sauppius illud potissimum tempus, quo Isocratem scribere orationes occepisse arbitratur, constituerit, mihi quidem dubium non est, quin iam aliquantum temporis ante annum CCCCIII hanc vitae rationem ingressus sit, si quidem ex Ant. §. 161 appareat eum etiam bello Peloponnesiaco flagrante bona patria amisisse eaque iactura ad scribendum et docendum coactum esse. Cui iudicio neque aetas Isocratis id temporis obest — intelligendus enim sit adolescens minus XXXIII annorum — neque temporum ratio, si eum cum Sauppio Olymp. XCII, hoc est, circa annum CCCCX ad Gorgiam in Thessalam profectum esse et non ita multo post reducem faciamus. En temporis spatium, quo existimandus est Isocrates tirocinium artis suae fecisse, hoc est, inde ab anno circiter CCCCCVIII, quod spatium mirum in modum convenit cum CCCCVI, quo sermo inter Socratem et Phaedrum a Platone habitus esse fingitur, ubi Isocratis commemorantur λόγοι οἵ τε ἐπιχειρεῖ. Potest autem fieri, ut istae primitiae styli ut parum venustae interierint, quum nonnullis orationibus de quibus memoria accepimus, careamus. — Sed pergamus in enarrando Isocrateae vitae cursu et ratione, et de temporibus, quibus cingulae orationes confectae et in volgus editae videantur, inquiramus.

Nam quum Isocrates propter orationes litigandi causa in aliorum usum conditas negotia sibi exhiberi videret — id enim tempus commutati consilii fuisse reor, quo Aristoteles in Bruto Ciceroniano dicit Isocratem se totum ad artes componendas trans-

tulisse — anno CCCXCIII vel proximo in Chium insulam traiecerisse dicitur ibique docere artem dicendi instituisse (Photius). Ibi quadriennium fere moratus posteaquam nomen clarissimi et magistri et rhetoris invenit, anno circiter CCCLXXXVII Athenas revertit, ubi tradere artem non intermisit, immo vero ludum aperuit etiam celebriorem tantosque undique assensus assecutus est, ut non modo ex Graecia universa, sed ex Asia et Ponto, ex Italia et Sicilia adolescentuli ad eum confluenter ac per multos annos doctrina eius uterentur: neque vero solum privatos homines discipulos habuit, verum rhetores duces reges ac tyrannos, quod iactat Ant. §. 30. Ab illo igitur anno, quo Chium prefectus est, nova vitae eius aetas incipit, qua iudicali genere dicendi omnino neglecto aggressus est elaborare in genere demonstrativo atque in eo totam operam suam consumere, unde iam ἐγνώμοια seu laudationes et παραινέσεις et λόγοι πολιτικοί atque συμβολευτικοί profluxerunt et, nisi nos fallit sententia, etiam artem ipsam tune cum maxime excolare et exercere studuit. Lubet etiam in his, quoad valeamus, constituere ordinem, quo quaeque oratio nata sit, ut habeamus quo nisi possimus perspicere summi rhetoris ingenium rationes sententias, quae fuerint, qui extiterint se mutaverint evanuerint, an integre et constanter ad extremum usque spiritum eas tuitus sit. Est sane temporum haec exploratio ad nostram quaestionem de investiganda Phaedri origine maximi momenti, ut non modo illud videndum sit, quo quaeque ordine oratio orationem excipiat, sed etiam tempus ipsum et annus, quo quaeque orta sit, quoad per memoriam licet definiendus: prout enim harum tamquam natales incerti, eo minere cum fiducia affirmabimus, quo potissimum anno Phaedrum conditum esse censeamus.

Atque principem quidem novi demonstrativi generis orationem esse vult Sauppius XI sive Busiridem, quippe quem confecerit in Chio insula anno CCCLXXXVIII. Sed gravior et maioris momenti est quaestio de oratione XIII vel adversus Sophistas, quam et Sauppius et Spengelius recte viderunt esse conscriptam eodem illo anno CCCLXXXVIII, quum Chio Athenas redux ludum eloquentiae aperuisset, quod quum vel ex consilio et ratione huius oratiunculae appareat tum maxime ex ipsius testimonio quod legimus Ant. §. 193 ὅτ᾽ ἡρχόμην περὶ ταύτην εἴραι τὴν πράγματελαν', λόγοι διέδωκα γράψας, ἐν φανήσουσι τοῖς τε μεῖζον ποιομέρας τὰς ἴποσχέσεις ἐπιτιμῶν et §. 195 praedicat se illam orationem scripsisse τεώτερον et ἀκμάζοντα, unde Spengelius colligere vult illum annum fuisse CCCXCVI; sed ne de posteriore quidem tempore, quod statuit Sauppius, verba illa obstant quominus cogitemus, immo Sauppiana ratio cum iis, quae de schola Isocratis diximus, aptius convenit. Neque minus gravis est de laudatione Helenae, quae est X, disceptatio, quando eam natam putemus, in cuius exordio eadem petulantia et simili acerbitate in sophistas et ceterarum doctrinarum doctores invehitur atque in ea quam proxime nominavimus, nisi quod Soph. §. 29 eum Helenae §. 7 vehementissime discrepant. Laudat Sauppius Spengelii conjecturam, qui eam Gorgia iam mortuo, id est anno fere CCCLXXX, editam esse doceat, sed tamen neque ex locorum ratione ad quos ille provocat, hoc confirmatur et apud Spengelium frustra paginas evolvi. Benselerus quidem multo utramque facit orationem aetate priorem, quum „adversus sophistas“ Isocratem anno CCCCI, laudationem Helenae circiter a. CCC scripsisse existimet; quod quamvis vellem ita sese haberet, tamen verum si quaerimus, Sauppii sententia est verior. — Sed puto ex duabus illis locis, quos significavi, contrarium atque voluit

Saupius posse effici: etenim quum Soph. §. 20 dialecticos pluris faciat quam eos, qui artes rhetoricas conscriperunt, contra Hel. §. 7 rhetores a philosophorum calumniis defendat, illam integerrimus quisque index statuet prius confectam esse, quae minus acerbe obtrectat rhetoribus, invehitur acerius in philosophos, si quidem verum est Isocratem primo et ipsum causis iudicialibus vacasse et a minutioribus parvulisque causulis ad grandia et magna adscendisse. Sed qualemque hoc est, magno certe temporis spatio hae duae orationes non dirimuntur. Reliquarum iam orationum aut certa et definita est temporum ratio, aut ad hoc quod agimus, nihil attinet. Illud igitur utique tenendum est, si modo recta via et ratione in hanc quaestionem, de qua agimus, inquirere volumus, Isocrateas orationes duplices esse generis, quarum quae iudiciales (*δικαιοτάτων*) dicuntur, inde ab anno XXVIII usque ad XLIII aetatis suae eum scripsisse ex iis quae adhuc disputavimus efficitur, reliquum vitae spatium totum ad suasiones civiles laudationes et publicarum rerum et privatorum componendas, denique ad omnia demonstrationis (*επιδειξεως*) genera et ad tradendam artem rhetoricam contulisse. Quod etiam magis confirmatur eo quod in his causis demonstrativis multis locis genus illud iudiciale respuit et vehementissime carpit exagitatque eos, qui in istis parvularum rerum causulis magnam operam ponant, quum aut conscribant istiusmodo oratiunculas, quibus alii in iudiciis utantur, aut ipsi dicant apud iudices. Etenim iam Soph. §. 12 sq. haec eius maligna de rhetoribus existimatio eluet atque porro in proximis inferiores et nequiores eos ducit iis qui *περὶ τὰς ἐργασίας καλυπτόνται*, velut Pareg §. 11—14, ibd. extr., Ant. §. 3, §§. 227—229. §. 276, Panath §. 1, qui locus praeterea suffragari potest nostrae sententiae iudiciales Isocratis orationes soli ac pulveri non fuisse destinatas.

Vitae igitur rationem, quam instituerat Isocrates scriptorumque ordinem et consilium videmus: reliquum est, ut de eis dicamus, quae ad Platonis in Phaedro iudicium de eo factum pertineat. Atque iam supra breviter attigimus eum maximam partem vitae suae nihil aliud egisse nisi in oratione soluta excolenda et perpolienda elaborasse atque in eo genere dicendi exercendo, quo cum gravitate sententiarum tum suavitate vocum et dulcedine verborum persuaderi posset animis iisque delectari et percelli ad quaecunque orator vellet: quibus studiis quum veram eloquentiam contineri arbitraretur, philosophiam appellasse, quae omnium rerum maxime esset expetenda, ut quae una mederetur animis, consuleret rebus duris et desperatis, denique ad bene beateque vivendum perduceret. Reliquas artes et disciplinas aut nihil valere et pro nugis habendas esse aut tantum habere momenti ut ad maiorem artem suam praepararent aptioresque redderent. Neque omnino quidquam aliud aut optabile aut laude dignum ducit nisi quod sibi placeat, ipse sentiat et cupiat, quod ipse facultatibus suis possit consequi et conficere. Velut poetas, id quod cum Platone ei est commune, spernit et futilis atque imanes dicit Panath. §§. 33 sq. Acerbiore etiam irrisu insectatur grammaticos, quos ille *ἀγελαῖον σοφιστῶν* nomine compellat Paneg §. 18. Ilud tamen probare videtur, si qui principum poëtarum dicta et sententias exceperit et collegerit, quibus in vita et rebus agendis uteretur (II. 44) Mathematica et astrologiam accipit et comprobat ille quidem, sed quasi ducem ad sanctiora rhetorices suae mysteria et penetralia, quippe quibus mentes et ingenia adolescentulorum acuantur: viris prorsus indigna et vitae inutilia esse (Ant. §. 261, 265, 266) Gravissime autem in eos quos *ἐργατικοὺς* nominat invehitur, quorum non modo studia absurdā et

inepta atque omnino repudianda censem, verum etiam praeceptores illius artis ipsos ut homines abiectissimos maximam partem et vilissimos cavillatur, quorum id unum interesset, ut pecuniam a discipulis compararent. Sed tamen in iis scriptis quae sunt aetate priora animum advertere licet Isocratem magis in sophistas vel ἐριστικοὺς exacerbescere quam in inferioribus, postquam iam senio relanguit aliquid et resedit exaestuans animus. Itaque quos vehementissime exagitat Hel. §. 1, Soph. §. 1, horum studiis aliquid certe utilitatis reddit Ant. §. 261 ipsisque contumelias in se collatas ignoscere et condonare videtur, porro Ant. §. 258—260 et Panath. §. 26 sq. Qui illi ἐριστικοὶ sint habendi, paulo infra, ubi facultas data erit, accuratius disputare in animo est; nunc de oratoribus dicam, quorum in numero eos habuerit. Nimirum et causas apud iudices orare et pro suggestu contionari itemque in his artibus tradendis versari ineptum et inutile esse profitetur Panath. §. 1, §. 29, Soph. §. 9. Neque autem a veris philosophis, et iis qui physica tractarent et qui virtutem doceri posse contenderent et qui in dialecticis exercecerent, vocem maledicam abstinuit Ant. §. 268., ubi physicos παλαιῶν σοφιστῶν voce compellat, Hel. §. 1 quo loco postquam Antisthenem significavit eiusque principia derisit, id quod Diogenes quoque Laertius IX p. 853 testatur, sic pergit *οἱ δὲ διεξιότες ὡς ἀρδίᾳ καὶ σοφίᾳ καὶ διπαισιένη ταῦτά ἔστι, καὶ γάρ τι μὲν ὀνδὲν αὐτῶν ἔχουμεν, μίας δὲ πιστήμης καθ' ἀπάρτων ἔστιν*: quibus quem potissimum describi intelligamus, nunc quidem in medio relinquam, videbo paulo post, neque tamen difficilis est coniectura. Et ne forte putas eum omnino ullam artem aut disciplinam admittere praeter eam unam, in qua ipse versabatur, evolvas Panath. §§. 29 sq. et ibid. §. 1, ubi non minus rerum gestarum scriptores respuit quam eos qui λόγους μυθώδεις καὶ τερατείας καὶ φενδολογίας μεστοὺς ἔργασσον et eos, qui nudas et subtiles et sine ulla delectatione orationes conserpserunt atque adolescentulos, ut in his sese exercecerent, cohortabantur, item Ant. §. 45 praeter ceteros λογοτρόφους Ionicos qui dicuntur describit et haud scio an Herodotum. Et vicissim eos, quos ille insectabatur, quos etiam se calumniari conqueritur, hanc adversus omnes invidiam, unde frustra sese defendit, ei criminis vertisse videmus Panath. §. 19. Vere urbanos et eruditos (*πεπαιδευμένους*) non censem nisi eos qui servire temporibus et cedere, ubi necessitas invaserit, sapiant atque ad ea, quae fortuna ferat, sese accommodare quaeque ex usu sint, cognoscere possint et adipisci: hominem enim doctum et humanum decenter et iuste debere aliis uti; et si quid simultatis aut molestiae intercesserit, lente id ferre atque altitudine animi superare; neque illum indulgere dolori et desperare rebus adversis, secundis non exultare gaudio aut insolescere ceterosque aspernari, sed moderari libidinibus et ab omni scelerum genere abstinere. Intelligere enim doctissimum quemque non iis nos bonis rite superbire ac gloriari, quae casu et fortuna nacti simus, sed nostro quidem iure iis, quae aut a natura acceperimus aut nostramet ipsorum industria paraverimus (Panath. §. 30—32.) At contra quam laeve et rustice agere ipsos eos, qui scriberent τοὺς διαλόγους τοὺς ἐριστικοὺς καλονομένους (Panath. §. 28). In sapientium (*σοφῶν*) numero dicit eos, qui fere ratione et iudicio optima quaeque deligant et consequentur, philosophorum nomen vero solis convenire iis, qui ea agerent, quibus facillime rationem illam adipiscerentur (Ant. §. 271). Hos autem non esse, qui fere tales haberentur; sibi enim esse persuasum eiusmodi artem et disciplinam, quae a natura male constitutis ingenii inculcaret virtutem atque bene et honeste vivendi conscientiam omnino esse

nullam, quum neque cognosci aut perspici et explorari possent ea quibus bene beateque vivendi ratio contineretur, sed sua quemque duci de hac re opinione et sententia (Soph. §. 3, §. 14—18 incl. Ant. §. 274). Itaque aegro animo fert, quod alii philosophorum nomine ornentur, qui minime digni sint, sibi ista laus negetur: Ant. §§. 270 et 285. Se vero eam quam alii philosophiam iudicent, philosophiam esse omnino non existimare, sed longe alia esse, in quibus veri philosophi cernantur: nempe si qui venuste et ornate discendi facultatem expetant et id agant, ut persuadere animis audientium possint, praeterea si ad verum lucrum aspirent, quod contineatur eum in verecundia et cultu deorum tum in iusto civium eorumque, quibuscum vivamus usu et in studio quam integerrimam atque optimam famam apud ceteros adipiscendi, hos praeclaro illo philosophorum nomine insigniendos esse (Ant. §. 275). Neque tamen omnes promiscue oratores et artis dicendi magistros huic rei aptos esse, sed rhetores composituri orationes-laude et praemiis dignas non quamlibet materiam tractabunt, verum maxima quaeque argumenta et gravissima diligent et quae prosint humano generi universo sintque e republica (Panath. §§. 12—14 Ant. §. 3). Summus ille orator cohortabitur ad ea facienda quae sint honestissima et audientibus maximos fructus allatura; quod si in hoc honestissimo studio usque versentur, fieri facile posse ut simul cum recte dicendi consuetudine iis ultro contingat et sentiendi et cogitandi ratio (Ant. §. 277 sq.) At etiam virtutis studiosus erit is, qui aliis persuadere volet, nam argumentis, quae ex honesta vita et privata et publica oratoris manent, causam suam melius tuebitur atque obtinebit quam iis, quae in libris de arte rhetorica praecepuntur: nimirum dignitate eius qui dicat integraque existimatione captari voluntatem multitudinis eaque de causa multo plus profecturum esse, qui famae castae consuluerit quam qui secus egerit. Quin etiam non solum suasionibus hac vivendi ratione plus accedere fidei et dignitatis, sed ad quaecunque eiusmodi vir agat, pertinere atque reddere ea honestiora ac magis speciosa (Ant. §. 278 et 282). Materies vero et argumentum quale sit non tanti referre, quanti quae sit forma et perscriptio orationis; proinde verum oratorum non vastam aliquam rerum sententiarumque silvam sequi opertere, quum illa ex tempore pendeant et usque mutantur, quandoquidem ei, qui post alium dicat de eadem re, eadem proferre iam non liceat, sed in exornanda et temperanda et distinguenda oratione omnem operam ponendam esse (Ant. §. 194, §§. 46 sq., Soph. §§. 12 sq., Paneg. §. 10, Panath. §. 33). Summi huius oratoris orationes tanto cum apparatu exornatas non unum diem tenere et delectare, sed esse monumenta perenniora aere, quorum nunquam depereat usus et honos (Ant. §§. 48 et 280). Primam quidem legem recte dicendi esse naturam et ingenium, sed ea temperetur necesse esse arte et praeceptis atque exercitatione assidua ad summam perfectionem et fastigium perducatur. (Sopt. §. 17 sq.) Sed tamen sicut omne bonum, quod aut natura aut sorte nacti simus, non tanti aestimandum sit, quanti id quod nostramet ipsorum arte et virtute comparaverimus, ita etiam in hoc genere eloquentiam extrinsecus assumptam cura et studio iure potiorem haberi quam nativam facundiam, quae non spectet id quod optimum sit dictu, sed temere effutiat quocunque in solum veniat neque alia ulla re regatur nisi fortuito impetu ac libidine. Verum qui studio ac ratione eam facultatem adeptus sit, hunc nihil dicere quod non antea diligenter perpenditer et deliberaverit, hunc minus vagari et errare, simul atque in arenam et pulverem prodierit (Ant. §. 292).

Magnae illae res, quas affectare et moliri vult, veram eloquentiam seu philosophiam, quod munus tam egregie praestare se ipsum et unum omnium iactat plus vice simplici, singulas fere paginas scriptorum eius si evolvimus, videmus quae fuerint. Inde enim ab eo tempore quo orationes deliberativi generis conscribere instituit, totus et mente et animo in hanc unam sententiam incubuit persuadendum esse Graecis, ut parvulas contentiones ac simultates indignas quae intercederent inter singulas civitates compонerent, at contra Persas, acerrimum et iam ab maioribus traditum hostem omnium Graecorum communem, iras atque arma verterent, quorum vastissimas ac locupletissimas terras si expugnassent atque opibus eorum potiti essent, iam ad summam felicitatem et beatitudinem peruenturos: hanc esse *εὐδαιμονία* quam ut consequatur, optimum quemque per omne vitae spatium, sed plerumque frustra conniti. Sed tamen quamvis per quinquaginta fere annos nihil nisi bellum Persicum et triumphos de Asia reportatos somnia ret meditaretur, loqueretur scriberet, nequidquam tamen nervulus eloquentiae suae contendebat et prudentiam suam civilem venditabat: nam postea quam ab Atheniensibus et Lacedaemoniis, ad quos primos de ea re retulerat, derisui habitus ac neglectus est, deinceps ad Dionysium Maiorem Syracusanum, tum ad Alexandrum Pheraeum, Agesilaum Archidamum, Spartae reges, confugit neque tamen magis apud hos externos quam inter Graecas civitates ipsas profecit, dum consilii sui ministrum et effectorem Philippum Macedonicum nactus est. Tamen se optime de republica et de communi salute universae Graeciae meritum esse, quasi nescio quid magni et mirabile perfecisset, gloriatur Panath. §§. 13 sq. Neque vero nova et inaudita erat haec de expeditione adversus barbaros sententia, ad quam exsequendam iam Gorgias multum ante, cum Olympiis sese ostentaret, cunctam Graeciam cohortatus esset, postea Iasonem Phaeraeum eodem ut adduceret operam dedisset, quod ab Isocrate ipso Phil. §. 19 accepimus; neque magis nova ea ratio fuit, qua in oratione *de Pace* suadet Atheniensibus ut imperii maritimi principatum abiificant, quo et ipsi miseri facti sint et deperdant ceteros: hunc enim principatum maris principium eis esse omnium malorum. (*Eloq.* §. 64). Ut priscos et integros mores maiorum restitueret ac revocaret, quo respublica Atheniensium refloresceret ea, quae Solonis et Clisthenis temporibus fuisset, potestatem censoriam Areopagitorum renovari voluit, quod et si per se laude dignum erat — neque enim frustra perditorum morum atque impietatis et divinae et humanae aetatem suam accusat — sed illud mirum, quod ea omnino fieri nequiret et temporum rationi ac saeculo repugnare non viderit. Denique non modo in literis et artibus, sed etiam in rebus civilibus prorsus ab aetatis sua consuetudine abhorruisse et longe contraria atque ceteri de omni genere rerum iudicasse ex iis quae cum maxime disseruimus existimandus est. —

En Isocrates effectus atque expressus qua maxima potuimus diligentia: mentem rationes consilia viri tamquam oculis cernimus. En summus orator, rhetorum omnium lumen ac decus, qualem eum futurum esse Plato praedixit. Formam et speciem orationis si spectamus, nihil certe sui reliquit Isocrates: exspectationi Platonis omnibus locis et numeris satisfecit. At philosophus ubi est, quem aliquando illum evasurum esse divina mens Platonis divinaverat? hunc in cassum quaerimus, hunc nequidquam oculorum aciem obtundimus circumspicientes: nisi forte pictas eius et comptas oratiunculas omni ampullarum genere differtas, quibus inepta et perversa sua consilia et vitae rationes divulga-

rat et venditaverat, pro philosophia, quam se unum tenere iactat, accipimus. Quin etiam tantum abest, ut philosophae mentis ac subtilitatis in illo quidquam vestigii invenias, ut omne verae sapientiae studium prae nitida sua eloquentia tamquam inane quoddam ac futile respuat et praecceptores huius artis vel contumelii insequatur. Atque quam haec Isocratis mens cum placitis Platonis non congruat, immo etiam quam vehementer eum iis discrepet et longe iis sit contraria, ex iis quae disputavimus, dilucide appetet. Nam Plato optimatum partibus studebat, Isocrates ut quidem posterioris aetatis orationes demonstrant, eam rei publicae formam quam Solon et Clisthenes constituerant, optimam ducebat ac vehementissime exoptabat. In philosophia vero Plato cum Socrate principium omnis virtutis et bene beataque vivendi voluit esse rerum cognitionem et veri perspicientiam: quam omnino esse negavit Isocrates neque quidquam de rerum natura et de boni iusti honesti ratione posse cognosci et perspici, sed sua quemque duci opinione. Doceri posse virtutem atque in animis discentium quasi insculpi, quum quidem veri cognitione contineretur, gravissimum decretum erat philosophiae Platonicae: Isocrates nihil harum rerum admittere, sed animum natura male affectum nulla disciplina aut arte evasurum iustum aut virtutem nacturam censem, at bene et de magnis rebus dicendo fieri posse meliorem. Summam legem verae eloquentiae statuit Plato, ut id de quo dicendum esset, orator novisset, quid et quale id esset, ut in genera, si quae essent, et species divideret, tum eligeret animum idoneum diceretque ea ratione, quae esset naturae et captui audientis accommodatissima quaque ei facilime persuaderetur: denique explorationem veri in omni genere argumentorum et causarum principem esse vult condicionem, formam vero et genus dicendi extrinsecus pendere neque qualia ista sint ad summam causae tanti referre. At Isocrates non verum, sed veri simile et probabile (*τὸ εἰπόει*) sectatur neque tam quod diceretur quam quo modo hoc fieret, referre existimat; immo eo usque insolentiae et perversitatis est progressus ut diceret eloquentia sua potissimum effici, ut si quis in ea exerceretur, is recte et cogitare et agere addisceret. Bonum *esse*, etiamsi discipulas ceteris et offendas, iubet Plato verum philosophum: bonum *esse videri* atque existimatione casta uti apud cives sufficere iudicat Isocrates suo quem intelligit philosopho, id est oratori, videlicet eo consilio, ut orationes eius auditoribus magis probentur. Potius esse perpeti iniurias et philosopho dignius quam inferre, quae sententia frequentantur apud Platonem: Isocrates tantum abest ut comprobet et adsciscat, ut eos qui illi sententiae indulgeant, derideat etiam atque increpet (Panath. §. 117 sq.) Cedere ac servire tempori et ad eorum mores quibus utamur ac voluntates sese conformare Isocrates erudit hominis putat et liberale, vitae enim usum et res publicas summam esse quasi normam, ad quam dirigire vitam oporteat. Contra Plato, quum has res vitiosas atque imperfectas esse intelligeret, speciem civitatis sibi fixxit philosophorum, qualem esse oporteret si esset haec vita vera effigies atque imago vitae caelestis, quam informavit, in qua optimus quisque regnaret et ii qui maxime excellerent sapientia et virtute, summam rerum administrarent: res igitur sequi debere mentem et rationem voluit, non vitam accommodandam esse rebus. Isocrates id solum amplectitur, quod omnium opinione proficiat convenientia deceat: Platoni persuasum est nihil proficere, nisi quod iustum sit, nihil convenire et decere nisi honestum et verum, etiamsi interdum detrimentum accipias aut ludibrium debeas. Denique quum summam beatitudinem, quam

εὐδαιμονίας Graeci vocant, Isocrates in eo positum esse duceret, ut omnes Graeci compositis inter se controversiis barbarorum regna aggrederentur hisque expugnatis et di-reptis quum summam laudem virtutis et belli gloriam apud omnes reliquas gentes consecuturos tum omnium rerum, quas exoptarent homines abundantiam et copiam nocturnos esse pro certe haberet, Plato quaecunque haec vita emolumenta habeat abiectis ut nosmet ipsos devincamus cohortatur paulatimque animum seiungamus a corpore, cum quo quoad cohaereat contaminetur atque inquietur ita, ut divina dispicere et cognoscere minus possimus, dum omni malo quod sit in nobis expulso casti evaserimus atque iam ipsum verum et iustum et bonum animi oculis perspiciamus vel, ut Socratis Platonici verbis utar, in coelum migremus. Hanc Plato intellegit esse *εὐδαιμονίας* expetendam, mirum sane in modum ab illa Isocratea diversam.

Atque mihi iam sat amplis et fusis verbis explanasse videor, quantum discri-
men intercederet inter Platonis et Isocratis rationes et hunc longe alium evasisse atque
eum ille fore animo informavisset, ut iam vel inde liceat coniicere Platonem de spe
quam olim habuisset deiectum et falsum postea minus benigne de Isocrate existmasse.
Quid? si accedunt loci nonnulli in Isocratis scriptis, quibus Platonem ipsum carpi et
significari volunt viri docti? In oratiuncula quidem *adversus sophistas* §§. 1—8 describi
censem Spengelius eristicorum videlicet nomine inductus Megaricos, quibus proprie istud
nomen tribuebatur, et maxime Euclidem, qui fuit Platoni amicissimus, hisque cavillationibus
Platonem ipsum laesum esse oportere. Ad quae recte respondit Ueberwegius hoc
nomen illi familiae a scriptoribus posterioris aetatis imponi, philosophos autem omne
genus ab isto τοὺς περὶ τὰς ἔριδας διατριβότας vocari; sed ipse in alteram partem peccat,
quum Antisthenem notari censeat, in quem neque omnia quae illo loco exponuntur, con-
veniunt neque omnino necesse est, ut unus aliquis et certus significetur. Perversissime
vero illud iudicat Platonem ea de causa adductem esse ut Socratem celebraret, quod is
Antisthenem utriusque viri adversarium et inimicissimum carpsisset. Quid? adeone arbitramur maximi animi philosophum verum depravasse ut invidiae suaे participem
laudaverit? Nobis satis erit dixisse Platonem istud de philosophia universa iudicium
aequo animo vix accepisse, etsi ad ipsum nihil attineret. Aliam rationem puto esse pro-
oemii Helenaе, cuius verbis postquam Antisthenes tam perspicue descriptus est, qui a
Socrate erant profecti inducuntur, quibus illa decreta omnibus erant communis iuris.
Saupius quidem voce quae est καταγεγηράκασιν, ut videtur, inductus senem Aeschinem
cogitavit, qui a Diogene Laertio perinde dicitur ac Plato dialogos composuisse, sed quam-
vis egregie illa vox in Antisthenem conveniat, qui tum temporis quum Helena scripta
esse putanda est, annos erat natus circiter sexaginta quinque, tamen haec vox non adeo
est premenda, ut alios praeterquam sexagenarios non admittat: nihil videlicet aliud vult
vox ista nisi si dixerit διατελοῦσι διεξιόντες ηλ. Itaque veri est simillimum Platonem
ipsum, tunc fere quinquagenarium, significasse, eius dialogi quum omnes prater ceteros
forma atque elegantia excellerent tum praecepit ii, qui illa potissimum placita docerent,
maximam partem ad id tempus essent editi et tererentur omnium manibus, ut unicuique legen-
tium huius imprimis venerit in mentem. Etiam clarius Phil. §. 12. Plato monstratur, id quod
et veteres et recentiores grammatici viderunt; etsi movit hic locus controversiam. Ne longus
sim, id tantum dicam me accedere iis, qui de Platonis Legibus et Republica cogitaverint,

quum utrique libri sic iuxta se positi vel sua sponte Platonis admoneant et Isocrates eo videlicet consilio horum sermonem iniecerit, ut derideret Platonem, quippe cui non magis contigisset exsequi ea, quae illis scriptis instituisset, quam Gorgiae aut sibi, quum panegyricis aliisque suasonibus in barbaros Graeciam excitarent. Accedit ut Isocrates, quum nisi sibi uni atqui iis, qui suam disciplinam sequerentur, alii nemini philosophi nomen inderet, qui fere eo nomine intelliguntur, τοὺς περὶ τὰς ἔριδας διατριβότας (Soph. §. 1) vel σπουδάζοντας (Ant. §. 258) nuncuparet, aut σοφιστάς (Ant. §. 268, Phil. 12) aut τοὺς προσποιούμενοντας σοφοὺς εἴραι (Pan. §. 117). Nam illud tenendum est philosophi vocabulum illis temporibus nondum ita, ut postea fuit aut nunc est, definitum et circumscriptum fuisse atque in omnium ore versatum esse, sed sibi quemque, ut videretur, huius appellationis honorem vindicasse, quum ceteros invidioso et vulgari sophistarum nomine compellaret; certe et vulgus ipsum Platonem eiusque sectatores non philosophos, sermones eius non διαλόγοντας φιλοσόφους, sed ἐμιστικούς vocitasse ex Panath. §. 26 colligi posse videatur: Τοὺς διαλόγοντας τοὺς ἐμιστικούς καλονυμένους. A quo tandem? quaerimus. A vulgo, non ab Isocrate, respondendum est. Atque hoc etiam legimus Isocratem verorum philosophorum studia, tamquam ut opponeret suaे philosophiae vocasse τὴν περὶ τὰς ἔριδας φιλοσοφίαν, (Hel. §. 6) quam vocem Spengelius nequidquam mutari vult in φιλοσειάν, utpote Isocratis invidiae in istud hominum genus aptiorem; sed nihil eum agere efficitur ex Epist. V §. 3 ubi eadem fere vox occurrit ἀκούω σε . . . τῶν φιλοσοφιῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν οὐδὲ τὴν περὶ τὰς ἔριδας. Panath. §. 28 quoque, ubi τοὺς περὶ τὰς ἔριδας σπουδάζοντας vitae ac morum imperitiores esse dicit quād discipulos eorum atque adeo servos, haud scio an Platonem praeter ceteros cogitaverit, qui ipse hanc ineptiam et inscitiam vitae in Thaeteto et Republica ingenue de se fateri videtur; quin vero Panath. §. 117 Platonis sententiam, quae est in Gorgia et eadem Republica et quodammodo in Critone, potius esse accipere iniurias quam inferre, aperte et haud ambiguis verbis derideat, nemo erit qui dubitet. — Unus restat locus, qui est de vi et natura eloquentiae, ut hanc commentationis partem absolverimus; nam quae Plato in Phaedro p. 267 et in Tisia et Gorgia reprehendit, ea Isocrates Paneg. §. 8 non comprobat modo, sed omnium maxime ipse exercuit. Neque vero inde necessario efficitur quod voluit Sauppius, ut Panegyricus sit post Phaedrum editum conscriptus, quum ille non a Platone hanc sententiam de prompererit, sed acceperit ab iis, a quibus in arte dicendi est eruditus: sed illud constat delitescere in his aculeum in Platonem neque hunc, si Isocrates ista prius scripsisset, istius modi rhetorem in Phaedro prae ceteris celebraturum fuisse. Eodem spectat, quod cum ceteris rhetoribus velut Gorgia definivit Isocrates artem dicendi esse persuadendi opificem (*πειθοῦς δημιουργόν*), cuius rei auctor est Quintilianus Inst. Ora. II, 15, 3 et Sextus Empiricus adv. rhet. 61 p. 301. Atque abunde confirmatur haec Isocratis de rhetorice iudicium locis qui sunt in Ant. §. 249 et §. 254, qui locus ad verbum congruit cum Symm. §. 6. At Socrates Platonicus istam de eloquentia opinionem in Gorg. p. 453 A subtilissima disputatione vitiosam esse docet ac redarguit.

Quid plura? Existimandusne est Plato, qui in Phaedro tam fusis et perspicuis verbis demonstraverit, quanti vulgarem illam et dissolutam eloquentiam faceret, excepturus fuisse Isocratem de numero illorum rhetorum, quos tam festive et facete perstrinxerit, si tum quum Phaedrum exarabat, eum talem esse cognovisset, qualis nunc nobis,

quum mentem mores rationes eius perspectas habemus, appareat? qui non modo omnis in Gorgiae vestigiis institerit, sed longius etiam in eadem via progressus sit, qui adeo philosophus non evaserit, ut tenue atque inane istud suum studium philosophiae indigno vocabulo adornaret atque eos, qui soli hoc nomine digni erant, in primis Platonem ipsum, invidia et odio persequeretur? Si quidquam, tum certe Platonem commoveret necesse erat illo ratio et impudentia, qua Isocrates nomine philosophi, quem ille in Phadro p. 278 D praecclare atque immo divine definivit, abusus transtulit in artem, quam ille maxime omnium despiciebat et nisi dialectices ministram ac servam non admittebat. Itaque ubi adolevit illud Isocratis studium ac longius progressum est, ut nulli iam fuerit dubium, quam potissimum sit vitae rationem initurus, aegre existimandus est Plato bonam illam de Isocrate opinionem praesumptam habuisse atque adeo Socratis vaticinio memoriae proditurus fuisse. Unde necessario conficitur Phaedrum dialogum eo tempore esse conscriptum, quum nondum plane appareret quae esset vera Isocratis ratio ac voluntas atque eum Plato ad suam disciplinam perduci posse confusus sit.

Quod tempus nunc, quoad per memoriae ambiguitatem licet, ex iis quae supra disseruimus, quaerendum et quam circumscriptissime definiendum est. Atque quum prima earum orationum, quae deliberativae et demonstrativa dicuntur, quae istam viri mentem prae se ferat, sit oratiuncula *adversus sophistas*, quam conscriptam esse in superioribus censuimus anno CCCLXXXVII, habemus tamquam terminum, quem ultra Phaedrus compositus esse nullo modo potest. Sed quum ante illum annum Isocrates per triennium Chii commoraretur neque veri simile sit Platonem de absente iudicium fecisse, quum praeterea iam in Bus. §. 1 philosophiae vocabulum invito Platone usurpetur, quae laudatio confecta est ante declamationem in sophistas, promovendus est ille terminus usque in annum CCCXCII, intra quem et CCCCVI igitur necesse est Phaedrus literis exaratus sit. Cadunt intra hunc annum et CCCCIII orationes iudiciales numero sex, quas supra ordine enumeravimus et disposuimus: in quibus etiam si nihil erat, quod Platonis philosophi animum violare posset, quum in simplici ac tenui illo genere dicendi versentur, ubi orationi latius vagari non detur et facultas a proposito deflectendi minus offeratur, tamen argumenta istius modi controversiarum vix est, ut Platoni placuerint. Accedit ut magna ex parte iisdem vitiis laborent, quae in Phaedro carpuntur atque reprehenduntur, ut aut antitheticis redundet oratio et paria paribus nimis frequenter referantur ut in Euthyno, aut a mediis rebus incipiat argumentum, ut est prooemium orationis in Lochitem. Ne in hoc quidem igitur spatium decem vel undecim annorum incidere videtur Phaedri sermonis confectio, ut iam unum omnino reliquum sit tempus quod ultra anni CCCCIII fines pertineat, quo Isocratem orationibus conscribendis vacasse a veritate non longe abest, si quidem supra recte ex iis quae Ant. §. 161 leguntur coniecumus, etiamsi illae primitiae ad nostram memoriam non pervenerunt. Quid enim impediret quominus illud r̄r, quum dicat Plato διοίσει περὶ τὸν λόγον οἷς ῥῆρ ἐπιχειρεῖ intelligamus de eo tempore potius, quo literis consignatus sit Phaedrus quam de eo, quo habitus esse sermo fingitur: quae difficultas ita facilime expedietur, si statuerimus non longo temporis spatio interiecto dirimi conscriptionis tempus ab illo, in quod disputatio ipsa transfertur. Neque est tamen haec libido appellanda: licet uti auctoribus antiquitatis Diogene Laertio et Olympiodoro, etsi non locupletibus illis quidem, sed tamen quorum testimonia superi-

orum grammaticorum et magis spectata fide et praestantiore iudicio nitantur, qui tradunt Phaedrum primum esse dialogum a Platone confectum. Nam Diogenes, qui tertio saeculo post Chr. n. fuit, in libro de philosophis veteribus tertio §. 38 scribit *λόγος* (sic, non *λόγον* h. e. *διάλογον*) δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν Φαιδρόν, quae scriptura nihil sibi aliud vult nisi fuisse et esse illud commune omnium grammaticorum iudicium. Cum Diogene consentit philosophiae Platonicae sectator Olympiodorus, saeculi post Chr. n. sexti scriptor, qui iisdem fere verbis eandem rem contestatur Vita Plat. p. 78 et addit ὁς λέγεται. At diserepare putant quidam doctissimi viri hoc testimonium cum eo, quod Cicero in Oratore §. 42 his verbis profert: „haec de adolescente Socrates auguratur, at ea de seniore scribit Plato et scribit aequalis“; quum enim more Romano seniores dicentur, qui quadragesimum quintum aetatis annum excessissent, existimant vocabulum senioris hoc quoque loco eadem vi accipiatur consequens esse, id quod longe est secus. Senior enim quid obstat quominus idem valeat quod *aetate maior Platone*, quantus revera fuit Isocrates et quidem septem annis. Quid? si Quintilianus Inst. Orat. III. 1, 14 de eodem Isocrate verba faciens dicit: eoque iam seniore... Aristoteles praecipere artem oratoriam coepit. Videant isti quam inepte interpretentur, si senioris vocem omnibus locis usurpari censeant more Romano, ut intelligantur ii qui degant intra XLV annum et LX; fac enim iam ad extremum huius aetatis annum, sexagesimum Isocratem pervenisse, conficietur annus CCCLXXVI, quo Aristotelem puerulum fuisse *octo* annorum constat, qua aetate quotus quisque mortalium eum arbitrabitur artem oratoriam coepisse scribere? Immo potius illud *senior* quod est apud Ciceronem, rectius ita interpretabimur ut dicamus Ciceronem in libris grammaticorum Graecorum invenisse vocem πρεσβύτερον eamque sic ut invenisset vertisse neque de iunioribus et senioribus Quiritibus quidquam cogitasse. Namque cohors illa virorum doctorum, qui Platonem fere quadragenarium Phaedrum composuisse censem, arbitrantur tum eum ex Sicilia redux Athenis in Academia ludum philosophorum aperuisset, esse illud vaticinium de Isocrate factum et factum ex eventu eo consilio, ut Isocratem perinde atque ipse Atheniensem, quem singulibus vidisset facultatibus praeditum, pelliceret et traduceret ad philosophiam capessendam. At neque de ludo Platonis certi quidquam constat, quo tempore is conflatus sit et qualis eventus ille a Platone speratus fuerit, ex dissertatione nostra satis superque efficitur. Itaque si modo verum est scriptio dialogi non multum afuisse a tempore, quo colloquentes finguntur Socrates et Phaedrus, sequitur conscriptum esse Socrate etiam vivo, quod nonnullis fortasse videbitur esse mirum. At ne quis miretur: idem enim Diogenes Laertius, quem supra memoravimus, III, 35 narrat Socratem, quum ei Plato Lysidem dialogum recitaret, exclamassem: Ω 'Ηράκλεις, ως πολλά μου κατεψέσατο ο νεανίσκος. Quodsi Lysis Socrate vivo est conscriptus, quid de Phaedro existimabimus, qui a Diogene et aliis traditur esse sermonum Platonicorum primus? Porro si Lysidem scripsisse narratur Plato *νεανίσκος*, quot annorum iuvenem informabimus, si quidem Phaedrus etiam priore tempore compositus est, tum quum hunc dialogum exarabat? Atque ut iam aliquando huic quaestioni finem imponam et quid summam eius esse censem profitear, iis quae in causam cadant et in usu sint, accurate perpensis illud repperi Phaedrum non multo scriptum esse post annum ante Chr. n. CCCCVI, in quem annum colloquium inter Socratem et Phaedrum transfertur, id est, quum Plato vicesimum quartum aut quintum aetatis annum ageret, Isocrates tricesimum primum vel alterum.

Altera restat quaestio non minus ambigua et implicita, illi autem priori coniunctissima, ut sit anquirendum, num Plato ipse postea temporis intellexerit se tum cum Phaedrum scriberet, falsa et inani spe esse frustratum, sicut nobis apparuit, atque istum errorem usquam confessus sit. Atque nominatim quidem nusquam iam Isocrates apud Platonem commemoratur, at est locus in extremo Euthydemo inde a p. 304 D, ubi describitur sine nomine orationum scriptor quidam, qui increpet et sapientiae studium et philosophos ipsos naso suspendat. In qua re ne inconsulte ac temere egissem videamus, antequam quis ille vir fuerit aggrediamur circumspicere, locum ipsum excutiemus et in singula quaeque, quae videantur esse ad hanc causam alicuius momenti, inquiremus. Etenim Plato quum in Euthydemo conscribendo id ageret, ut ostenderet legentibus veram philosophiam ab inani isto et sordido studio circa voces rixantium atque spinas argutiasque disserendi sectantium ac rursus refellentium segregandam et discernendam esse, item prave perverseque eos indicare, qui philosophiam extremis tamquam labris attigisse et libasse eruditio viro satis esse ducerent, penitus haurire et tota mente in eam incumbere ingenium liberum dedecere clamitarent, illa in causa sic propositi sui partes explevit, ut fingeret sophistas istud genus celeberrimos et Socratem inter se de eo disputantes atque contendentes, quanam via et ratione iuvenes ad studium virtutis impelli et excitari possent.

Iam quum Crito, cui Socrates colloquium in quod pridie cum sophistis convenerat narrat, quod is ingenti corona audientium circumfusa quae agerentur exaudire non poterat, disputatione direpta domum discederet, adiit eum vir quidam, qui magnopere sibi videbatur esse sapiens, ex numero eorum, qui magna cum sollertia et laude orationes iudiciales scribere consuerant. Hic eum compellavit, quid sophistas illos censeret, qui in sui generis orationibus essent sapientissimi; sibi quidem illorum rixas non esse insolitas, quandoquidem numquam desisterent hariolari et in futilibus rebus immensam operam collocare. Iam illa quae subiiciuntur οὐτωσὶ γάρ πως καὶ εἰπε τοῖς ὀνόμασιν, non nequidquam apposita videntur, quum fortasse consuetudinem dicendi illius viri possint significare. Et quum Crito profiteretur suavem esse rem philosophiam, hanc suavitatem se videre ille negavit, immo esse omnino rem nullius pretii neque Socratem decere istiusmodi hominibus sui facultatem facere et aures praebere, quippe quorum nihil interesset quid dissererent omnesque spinas verborum completerentur ac tenerent: istos sane tum cum maxime auctoritate florere, at et artem ipsam et qui ei arti operam navarent, fatales quosdam esse et ridiculos.

In quo hoc quidem insigne est ac mirum Socratem pluris aestimari quam sophistas, in quorum colloquium descendere Socrati obscurus ille philosophiae contemptor turpe ducat. Iam Socrates, priusquam quidpiam de eo iudicet, accuratius quaerit, qui ille fuerit, utrum orator de numero eorum, qui sollerter calleant contendere iniudiciis an scriptor aliquis orationum, qui aliosum in iudici soleant mittere, quibuscum oratores illi litigent ac decertent. Minime gentium, inquit Crito, orator, neque eum unquam apud indices dixisse reor, sed hercle narrant eum peritissimum esse in hoc genere et orationes componere mirabiles. Ex qua significatione iam agnoscere dicit Socrates illum virum et iam ipsum tantum quod de isto hominum genere verba facturum fuisse; esse enim eos quos Prodius scite medios inter philosophos et rei publicae gerendae peritos dixerit, qui non modo putent esse se omnium mortalium unos sapientissimos, sed etiam quam

plurimis tales esse videri arbitrentur, ut quominus apud omnes auctoritate florent, nullos sibi obstare opinentur nisi eos, qui sapientiae studia colant. Itaque in spem venisse eos, si illos apud vulgus infamavissent ad nullam rem esse aptos, fore ut ipsi apud omnes existimationem summae sapientiae consequerentur. Etenim verum si quaeratur, ipsos esse quidem sapientissimos, ubi vero in suis orationibus deprehensi sint, perverti ab iis, qui sint ab Euthydemo; sapientes se autem esse non parum. Minime mirum id quidem: modice se enim philosophiam tenere, modice rerum civilium prudentiam, ex ratione sane probabili; sic enim utraque disciplina sese imbutos esse quatenus deceat, at extra pericula et certamina degentes sapientiae fructus percipere. Iam in proximis demonstrat et efficit Socrates vehementer id genus homines errare qui, quum principes esse affectent, quod medii sint inter duas res bonas eoque utraque inferiores, tertium obtineant locum. At indulendum esse eorum vanitati neque irascendum, sed tanti faciendos esse quanti sint. Quemlibet enim virum amore amplectendum esse, qui seitum et prudens aliquid dicat, quodeunque id sit, atque cum studio persequatur p. 306 C.

Atque tria sunt praecipue, quibus ignotus ille insignitur, primum quod quamvis dicatur vocasse philosophiam rem futilem et inanem, tamen ipse philosophi nomen affectet, alterum quod ne prudentiae quidem civiles expers videri velit, tertium quod orationes componere soleat sitque in eo genere summus artifex, quamquam ipse nunquam apud iudices verba fecerit. Iam videndum est, in quem potissimum ista convenient. Atque hoc quidem loco aegerrime fero, quod mihi per spatii angustias non liceat et iudicia eorum refellere, qui de Lysia Thrasymacho Theodoro cogitarunt et eorum qui non unum aliquem, sed totum genus istius modi homuncionum promiscue notari et accusari censem: hoc unum videamus quale sit, quod iam pridem Heindorius et Schleiermacherus viderunt, quorum nuper et Spengelius Uiberwegius, alii sententiae suffragati sunt, convenire illam in Euthydemo designationem nemini magis quam Isoerati. Atque profecto, verum si quaerimus, hunc neque patronum unquam causam suscepisse neque accusatorem orasse, sed tamen orationes iudicales scribere esse solitum ipsius gravissimis testimoniis cognitum habemus, deinde ceteris philosophis omnibus obtrectasse, at sibimet ipsi unum et summum philosophum visum esse, denique quamquam ipse rem publicam non capesseret, nihilominus tamen sese huius modi hominibus anteposuisse, quum quidem persuasum haberet orationes suas deliberativas magis prodesse communi totius Graeciae saluti quam omnia omnium virorum civilium consilia rationes leges, quos graviter Paneg. §. 170 sq. insimulet incuriae et socordiae, quod a magnis consiliis alieni in levibus te minutis rebus tempus consumant sibique, cuius ea minus intersint, permittant populum quid ei usui sit monere. Hactenus fere Spengelius neque quidquam ultra: sed restant etiam plura quae praetereunda minime videntur. Atque primum illud animadvertisendum est, quod de dilemmate quod est Euth. p. 305 B, altera pars πότερον τῶν ἀγωνίσασθαι δεινῶν ἐν τοῖς δικαιηγούσις ὄγρῳ τις negetur et eadem fere verba in responso referat Crito, in altera vero parte quae est η τῶν τούς τοιούτους εἰσπεμπόντων, ποιητὴς τῶν λόγων, οἷς οἱ ὄγροις ἀγωνίζονται, quae affirmatur, non eadem, sed longe dissimilia recurrent verba ἀλλ' ἐπαίτειρ αὐτόν φασι περὶ τοῦ πράγματος ῥῆ τὸν Δία καὶ δεινῶν εἴναι καὶ λόγους δεινοὺς συντιθέναι, unde videtur posse confici orationes iudiciales Isocratis, si modo revera hunc tenemus, non ut declamarentur, sed ut legerentur esse conscriptas. Nam se oratorem

esse, id quod Crito p. 305 C de eo iudicat, ipse ingenue negat Phil. §. 81. Quam ineptum sit orationes scire quidem componere, sed iis uti non posse cum in hoc loco de quo agimus p. 305 D significatur tum in eiusdem Euth. p. 289 D perspicue et diserte monstratur. Moriar, ni hoc loco idem intelligendi sunt atque illo, et iterum moriar, ni utroque loco Plato Isocratem notare voluit: sic penitus inter se vel ad quaedam verba congruunt. Porro quis est quem non subeat, quum altero illo loco lyricorum comparationem legat, scitum illud Isocratis, ipsum quidem in foro et arena dicere non posse, at idoneum esse alios illam rem docere esseque similem cotis, quae quidem ipsa ut non valeat secare ita acuere ferrum, quod isto munere fungatur. Quod si dicuntur id genus homines in Euthydemo conqueri philosophos sibi officere, quominus apud omnes sapientissimi habeantur, similem locum apud Isocratem Soph. §. 11 invenisse mihi videor, nisi quod uterque locus ita inter se differt, ut illic philosophi incusentur, hic *οἱ τὸν πολιτικὸν λόγους ἵπισχρούμενοι*. Et quod in Euth. p. 305 C dicit Plato homines illos philosophis inimicissimos non modo reri sese esse sapientissimos, sed etiam ceteris tales videri, hoc iam supra, Ant. §§. 280, 282 et Panath. §. 29, vidimus Isocratem quam cupidissime sectari, praecipue veri oratoris esse studere famae et existimationem bonam auctorari, si quid proficere velit. Denique quotusquisque non agnoscat quietis et vitae securae laudatorem, qui Ant. §. 227 in numero eorum, quos a calumniis adversariorum defendat, se ipsum vel maxime comprehendat, quum quae apud Platonem Euth. p. 305 E de iis quos modo descripsit dicantur, legerit: *ἐπτὸς ὅπτες κυδένων καὶ ἀγώνων καρποῦσθαι τὴν φιλοσοφίαν?* Et quae Sauppius tam egregie cadere putat in Theodorum Byzantium **πάρν ἐξ εἰκότος λόγου** aut quae illius generi dicendi Platonem adaptasse sibi persuadet *περὶ οὐδενὸς ἀξίου ἀραξίαν σπουδὴν ποιουμένων*, ea non minus apte in Isocratem convenient, qui Ant. §. 280 et ipse τῶν εἰκότων mentionem facit, et istiusmodi annominationes habebat in ampullis (*ληνωθίων*). Neque tamen exhausta videntur omnia quae nos adducant, ut obscurum illum ποιητὴν λόγων Isocratem esse intelligamus: vel in minutissimis rebus et singulis vocibus illius viri lineamenta depinxisse illo loco videtur Plato, velut vox *ἀπολειφθῆναι* Euth. p. 305 D, eadem vi et notione posita de eadem fere re usurpatur apud Isocratem Soph. §. 11, sophistas ληστὴν dicit et obscurus ille rhetor in Euth. p. 304 E et Isocrates Panath. §. 33 vel Soph. §. 11 φλαρεῖται, itaque φαῦλοι καὶ καταγέλαστοι esse videntur et illi Euth. p. 305 A et Isocrati Soph. §. 5 et Hel. §. 9. Quin immo festivum illud εἰκότως, quod proprium et usitatissimum fuisse videtur Isocrati, ut Soph. §. 8 Ant. §§. 292, 295, si modo illi proprium fuit, Plato imitatus est Euth. p. 305 D. Quod tamen non vereor ne quis ita acceperit, quasi Plato hos locos Isocrateos, quos modo laudavi, omnes respexerit deque iis quae viderentur depropserit — sunt enim nonnullae illius orationes Platone mortuo confectae — sed est veri simile illam consuetudinem et naturam fuisse Isocrati eamque non in scriptis modo, sed etiam in vita et usu hominum prae se tulisse. Quid? quum constet inter viros doctos Platonem non modo Socratis, magistri sui, confabulandi et disputandi rationem in sermonibus suis expressisse, verum etiam, si ceteros sophistas et rhetores disserentes induceret, Protagoram Prodicum, Hippiam Gorgiam, Lysiam Thrasymachum, alios, orationem ad illorum potissimum consuetudinem vel ad nugas accommodasse, in uno Isocrate eum ab hac tamquam norma et lege abstinuisse atque deflexisse arbitrabimur? —

Scripsit Fr. Rausch.